

res tantum. Sed Resp, (α.) Non frustra pugnare quenquam argumentis, ex attributorum natura de promptis, inde patet, quia qui destruit attributa divina, ipsum Deum tollit, cum attributa Dei ab essentia divina non realiter, sed conceptu nostro differant. (β.) Deum non tantum ritus Gentilium *idololatricos & crassiores*, sed & *subtiliores & eos, qui in se sunt indifferentes*, prohibuisse, nec ipse *Spencerus* diffitetur *l. 2. Sect. 4. c. 2. p. 218. seqq.* Dum enim inquirat in rationem, cur Deus *adiaphora*, e. g. *ne quis extremitatem barbe dissecaret, hoc dum in lacte matris coqueret, aut capitis pilos in orbem tonderet*, prohibuerit, nullam subesse aliam pronunciat, quam quia & apud Ethnicos obtinebant, & cultus profani speciem gerebant.

§. 6. Addimus his (III.) & illud: Quia alias Deus Diabolum imitari videretur, adeoque merito *Simia* ipsius (absit blasphemia verbis) posset dici. Quis vero Christianorum de Deo nostro id vellet cogitare. Diabolum contra esse Dei simiam, palam est, si quidem hic nullo non aëvo id egit, ut divinam corrumpere veritatem. Hoc autem non melius potuit efficere, quam si ritus divinos ad suos quoque transferret cultores, eosque varia superstitione depravaret. Hinc *Tertullianus de Præsc. c. 40.* *Diaboli sunt partes invertendi veritatem: ipsas quoque res sacramentorum divinarum in Idolorum Mysteriis emulatur: tingit & ipse quosdam utique credentes & fideles suos.* Deum vero esse Diaboli simiam, nemo nisi mente captus dicet.

§. 7. Probatur (IV.) ex defectu principii, ex quo Gentiles circumcisionem derivare potuerunt, ita ut *incircumcisi opprobrium* ipsis fuerint, quemadmodum statuit *Marshamus p. 73.* Nec enim eam haurire potuerunt ex ratione, cum hæc non *ceremonialia*, sed *moralia* complectatur, neque ea, quæ à libera Numinis voluntate dependent, sed quæ ad *legem*, ipsi *natura insitam*, pertinent, præcipiat. Jam vero cuilibet, *circumcisionem* non ad *legem naturalem*, sed *ceremonialem* pertinere, consideranti, ad oculum patebit, eam rationis ope haud posse inveniri. Ex quo enim